


II.  
L. 6688.  
v. #1





6688. ~~Field~~

8° br.



4

# COMPENDIARIA

METROPOLIS CARNIOLIAE DESCRIPTIO

<sup>E</sup>  
TOPOGRAPHIA GERMANIAE AUSTRIACAE  
CAROLI GRANELLI S. J.  
EXCERPTA, ET AUDITORIBUS OBLATA,

<sup>DUM</sup>  
ASSERTIONES  
<sup>EX</sup>  
UNIVERSA PHILOSOPHIA  
IN ARCHIDUCALI, ET ACADEMICO SOC. JESU  
COLLEGIO LABACI

*Anno M. DCC. LXVI. Mense Augusto, die*

PUBLICAE PROPUGNARENT

ERUDITUS, ac PERDOCTUS DOMINUS

MICHAEL CASTELLIZ

Carniolus Labac. e Seminario Soc. JESU,

ERUDITUS, ac PERDOCTUS DOMINUS

SIMON SCHILLITZ

Styrus ex Fano S. Petri. Philosophi Absoluti

EX PRÆLECTIONIBUS

R. P. JOANNIS BAPTISTÆ  
POGRIETSNIG

e Soc. JESU, Philosophiæ Professoris publ. & ordin.

---

LABACI,

Typis JOANNIS FRIDERICI EGER, Inclyt. Provinc. Carniol. Typographi.






*Nil fingendum , aut excogitandum , sed invenien-  
dum, quid natura ferat , aut faciat.*

BACO DE VERULAMIO.

030023407





# ASSERTIONES

## EX LOGICA, METAPHYSICA, ET JURE NATURÆ.

### I.



**L**ogicæ nomine ea disciplina venit, quæ mentem in formandis, componendisque, aut separandis ideis dirigit, quæve ceteræ scientiæ veluti instrumento ad verum inveniendum, ordinateque explicandum utuntur: & cum abjudicari nequeat menti humanæ perceptiones suas consociandi, dividendi, alteram ab altera abstrahendi, aut ignotum e noto inferendi potestas, ideas innatas inter figmenta merito computamus.

II. Ea Philosophiæ pars, quæ res a materia seu cogitatione nostra, seu reapse abstractas contemplatur, Metaphysica adpellatur. Mundus non existit ex omni æternitate, ut quidam cum Aristotele somniare videntur, sed est aliquo temporis initio de nihilo creatus.

III. Mundus est opus sicut Divina prorsus Sapientia conditum, ita fini, quem DEUS in creatione intendit, plane conforme, ac propterea suo in genere perfectum.

IV. Verisimilius est, & communi hominum sensui, & statis naturæ legibus magis consentaneum, causas creatas etiam corporeas non esse meras effectuum conditiones, sed vim vere, ac proprie effectricem habere.

V. Quamvis naturæ leges relate ad causas secundas necessariæ prorsus sint, ac stabiles, a libera tamen Authoris potestate pendent, suntque mutationi obnoxii; hinc vera miracula effici posse Divina virtute confectarium est.

VI. Mens hominis diversa est a corpore substantia, rationalis, natura sua immortalis: probabilius tunc creatur, quando ea habetur corporis organici in fetu dispositio, quæ ad obeundas præcipuas vitæ functiones sufficiat.

VII. Mirabilis mentis cum corpore consociatio neque in systemate causarum occasionalium, neque per harmoniam præstabilitam recte exponitur, sed per influxum physicum, & per mutuam utriusque substantiæ in actionibus suis a se dependentiam.



VIII. Brutis tribui debent motus spontanei, & quædam cognoscendi vis; sunt igitur illorum animæ a materia alienæ, omni tamen ratiocinandi facultate destitutæ.

IX. DEUM, seu Ens infinite perfectum existere validis adeo argumentis ostenditur, ut incredibile videatur fuisse unquam atheos theoreticos: Ejus providentia non solum universa, verum etiam singula administrantur; quare frustra contendunt minuti illi philosophi, qui hanc de medio tollere adlaborant.

X. Vera hominis felicitas in statu naturæ spectati non est possessio ullius boni creati, nec alia esse potest, quam cognitio, & amor DEI: Via ad hanc beatitudinem, & quædam inchoata beatitudo sunt actus boni, normæ a DEO præstitutæ conformes.

## EX PHYSICA.

I. **P**hysica, seu scientia rerum naturalium scrutatur corpus sensibile, illius principia, attributa, vires, viriumque leges, ac mensuram partim diligenti phenomenonorum observatione, partim institutis experimentis investigat. Principia physica corporum statuuntur moleculæ minimæ mutuis viribus præditæ, quibus jam ad mutuum accessum, jam ad recessum pro distantiarum varietate determinantur, quarum virium existentiam, & legem positiva argumenta invicte comprobant.

II. Lex ista virium exhibetur linea curva, quæ in duos ramos asymptoticos indefinite excurrens, circa axem flexa, accessu suo, & recessu, variisque intersectionibus & distantiarum, & actionis rationem definit. Quippe abscissis distantias exprimentibus, ordinatæ vires exponent vel repulsivas, vel attractivas, prout jacuerint ad partes prioris cruris asymptotici, vel oppositas.

III. Ex hac virium mutuarum lege præcipuæ corporum affectiones, quæ difficiles ceteroquin explicatus habent, sua fere sponte fluunt: Impenetrabilitatem explicat crus primum asymptoticum; imminutis enim in infinitum distantis vires repellentes ita in infinitum augentur, ut a nulla creata vi superari possint, imo contactus omnis verus, & mathematicus excluditur.

IV. Ex impenetrabilitate consequitur extensio, & in eo sita est, quod ob impenetrabilitatem puncta alia sint extra alia, nec omnia jaceant in eadem recta, nec in eodem plano omnia; adeo tamen proxima sint multa, ut eorum intervalla omnem sensum effugiant: Inde figuræ, molis, continui physici præclara idea nascitur. Massa est ipse particularum ad corpus pertinentium numerus.

V. Massa ad molem relata densitatem suppeditat; densitatis nempe mensura est massa per molem divisa. Cohæsió partium inde oritur, quod particulæ in iis consistant limitibus, in quibus transitur a vi repellente in minoribus distantis ad vim attrahentem in majoribus: vel in iis ponantur intervallis, quibus ordinatæ cis, & trans axem sat magnæ, & æquales respondeant; sic enim comparatæ partes figuram suam tuebuntur, & divisioni fortiter resistent.



VI. Inertia corporum provenit ex inertia singularum molecularum: Vis illius positiva, seu conservandi statum motus, & quietis, & agendi adversus alia nec ab impenetrabilitate pendet, nec a gravitate, aut materiæ indifferentia, nec ab impulsu quodam externo efficitur; hinc diversa est ab aliis proprietatibus corporis affectio.

VII. Mobilitas, & motus ex virium natura ultro promanant: Præcipua, quæ in motu spectantur, sunt directio, velocitas, motus quantitas, & vis motrix. In motu æquabili spatia confecta sunt in ratione composita temporum, & celeritatum: In uniformiter accelerato, vel retardato, ut eorundem quadrata; motu autem composito ex æquabili, & accelerato, vel retardato parabola describitur. Motus quantitas respondet massæ in celeritatem simplicem ductæ.

VIII. Leges collisionis ex æqualitate actionis, & reactionis sequentes eruuntur: Si corpus perfecte durum in alterum itidem perfecte durum incurrat, eadem celeritate progrediuntur; hinc celeritas communis post ictum erit

$= \frac{MC}{M+m}$ . Si unum lentius præcedat, alterum celerius sequatur, communis celeritas post ictum erit  $= \frac{MC+mc}{M+m}$ . Si contrariis directionibus, sed viribus inæ-

qualibus concurrant, eadem erit  $= \frac{MC-mc}{M+m}$ . Et motu ad eandem plagam rela-

to, eadem post ictum erit motus quantitas, quæ ante ictum. Si corpus perfecte elasticum in alterum quiescens itidem perfecte elasticum incurrat, incurrens post ictum duplam quantitatem motus amittit illius, quam amisisset, si utrumque fuisset perfecte durum, & quiescens duplam quantitatem motus illius acquirit, quam adquisivisset in eadem hypothesi; hinc celeritas incurrentis post ictum

$= \frac{MC-mC}{M+m}$ , & quiescentis  $= \frac{2MC}{M+m}$ .

IX. Vires motrices sunt variarum originum: Principem inter has locum obtinet gravitas; hujus phænomena, quæ nec per Cartesii vortices, nec per ullam aliam impulsione explicari possunt, ab attractione deducimus. Hæc non solum ad corpora terrestria, sed ad solem etiam, & ultimos planetas pertinet. Est mutua, massis directe proportionalis, & proxime rationem reciprocā duplicatam distantiarum sequitur, quam crus alterum hyperbolicum curvæ exponit.

X. Vis gravitatis acceleratrix distinguitur a pondere: In eodem terræ loco, ac in modicis a superficie distantis constans est sive in corporibus libere cadentibus, sive descendantibus per planum inclinatum; hinc spatia singulis tempusculis confecta per numeros impares crescere necesse est. Si corpus in plano inclinato moveatur, ratio sinus ad radium vim obliquam designat comparatam cum perpendiculari: Huc revocantur pendula, quæ si inæqualia fuerint, viribusque inæqualibus per arcus similes oscillantur, erunt tempora oscillationum, uti  $\sqrt{LMg} : \sqrt{lmG}$ , &  $N : n = \sqrt{LMg} : \sqrt{lmG}$ . Quod oscillantibus etiam chordis convenit.

XI. Punctum corporis, circa quod pressio effectus in æquilibrio consistunt, & quo sustentato totum corpus quiescit, centrum gravitatis dicitur.



Scientiam aliquid vel virium, vel temporis compendio movendi, aut efficiendi Mechanicam adpellamus: quidquid ad hoc compendium facit, machina erit vel simplex, vel composita. Simples sunt vectis, & planum inclinatum, ad quas ceteræ referuntur; id universum in omni machina obtinet, si potentia rationem reciprocam celeritatum, seu spatiorum percurrendorum sequatur, in æquilibrio constituetur cum pondere.

XII. Ingens virium in minimis distantis discrimen, e quo præcipue corporum solidorum, & fluidorum phænomena, tantaque saporum, odorum, fermentationum, coherentiæ varietas dependet, oritur partim e numero, figura, mole, partim ex distributione, ac positione punctorum in diversis particulis diversa; si nempe particularum figura plurimum a spherica recesserit, vel distributio punctorum intra particulam inæqualis fuerit, ea omnia, quæ ad soliditatem pertinent, sequi necesse erit ex vi in latus, & limitibus utrinque validis: quodsi post exiguum a limitibus intervallum aut nulla sit actio, aut tanta repulsio, ut omnes sequentes attractiones superet, corpus non tantum solidum, sed & rigidum erit, ac fragile.

XIII. Si autem vires hinc, & inde a limite ex mutata punctorum positione minores evaserint, corpus quidem solidum manebit, sed flexile insuper, ac ductile, si ibi frequentissimi, & proximi extiterint limites: Elasticum fiet, si vires utrinque ad majores extendantur distantias arcubus utrinque axem sub exiguo angulo secantibus; elasticitatis itaque phænomena a viribus dicto modo attractivis, & repulsivis derivantur, quæ nec per solam attractionem, nec per solam repulsionem, nec per fluidi ullius actionem rite explicari possunt.

XIV. Sonus in ipso corpore sonoro spectatus est ejus affectio ex motu tremulo partium minimarum elasticarum oriunda; soni gravitas, & acumen a numero pulsuum intra idem tempus peractarum, intensio vero tonorum a singularum vibrationum magnitudine dependet: Illud vero inter hypothèses magis, & ingenii acumina, quam inter veritates physicas computandum videtur, aerem ordinarium ad soni propagationem non concurrere, & ad diversos sonos diversas aeris particulas pertinere.

XV. Fluiditas corporum habetur ab ea molecularum comparatione, ut vires fere in omnem partem æquales sese exerant, facileque circa axem suum, & centrum citra sensibilem resistantiam converti possint. Porro fluidorum æquilibrio ex æquali cujusvis particulæ in omnem plagam pressione obtinetur, seu in fundo, seu in lateribus, seu in medio existat: In tubis communicantibus fluida erunt in æquilibrio, si eorum altitudines perpendiculares fuerint reciproce, ut gravitates specificæ. Pressio in fundum vasis horizontalem æquatur facto e superficie fundi in altitudinem, quæcunque sit vasorum figura.

XVI. Si fluidi cujuscumque partes minus ab se invicem, quam a vitro trahantur, fluidum in tubulis capillaribus ultra libellam adsurgit, & quamvis ad hanc fluidorum elationem tota interior superficies pedetentim concurrat, cylinder tamen fluidi in diversis altitudinibus spectatus sola vi annuli supra summam ejus superficiem constituti elevatur ultra libellam, estque altitudo in diversis tubulis in ratione inversa diametrorum, quantitas vero diametris directe respondet.

XVII. Vis fluidum attollens, ac sustinens non est tota, & absoluta vitri attractio, sed excessus duntaxat attractionis tubuli supra mutuam actionem fluidi,



di, nimirum  $=V.v$ , & substitutis peripheriæ diametris  $=Vd.vd$ ; hinc cum hæc differentia pro varietate fluidorum multimodis variari possit, datur ratio, cur non omnia fluida ad eandem evehantur altitudinem: & quia mercurii cohærentia vim vitri exsuperat, patet, cur mercurius infra libellam deprimatur.

XVIII. Ex varia gravitatis lege, & motus projectilis adtemperatione omnis generis curva, seu trajectory describi potest a mobili: Quæcunque vero describatur circa centrum aliquod, radius vector verrit areas temporibus proportionales; hinc celeritas in diversis orbitæ locis, seu arcus eodem tempore descripti sunt reciproce, ut perpendiculara ad tangentes eorum locorum demissa.

XIX. Mobile in circuli peripheria incedens, uniformi ubique celeritate, centralibus viribus in nullo peripheriæ puncto variatis, fertur; in diversis circulis vis centripeta respondet quadrato celeritatum directe, & diametris, seu radiis reciproce: Si circa focum ellipseos motus peragatur, vis gravitatis est in ratione reciproca duplicata distantiarum, & quia quadrata temporum periodicorum proxime æquantur cubis distantiarum, celeritates mediæ, quibus diversi planetæ orbitas suas percurrunt, sunt ut radices distantiarum mediarum a sole reciproce sumptarum.

XX. Hac theoria cum observationibus mire consentiente necessario, & legitime inferimus, per universalem, mutuamque cœlestium corporum gravitatem cum vi projectionis æquabili conspirantem tam primariorum, quam secundariorum planetarum motus, quibus efficiendis materia ætherea etiam vorticoſe mota non sufficit, recte exponi.

XXI. Hac vi duplici acti planetæ primarii circa solem, secundarii circa primarios describent ellipses diversæ excentricitatis, & inclinationis ad eclipticam. Inter planetas primarios locum obtinet Tellus nostra in systemate Copernici, quod explicandis cœlestium corporum phenomenon præ Tychonico satisfacit. Lunæ, ac omnium satellitum motus inæqualitates ex iisdem pendunt principiis.

XXII. Adparens, isque rapidissimus stellarum fixarum motus ex motu vertiginis terræ, constantes anni vicissitudines, dierum, noctiumque varia longitudo e terrestribus axeos parallelismo, & inclinatione ad planum eclipticæ  $66^{\circ}$ . &  $31'$ . felici consecutione deducitur. Planetarum superiorum æque, ac inferiorum observatæ stationes, retrogradationes, & progressiones e differentia temporis periodici telluris, & planetarum innotescent.

XXIII. Phases lunæ, aliorumque errantium corporum a varia illorum respectu solis, & terræ positione consequuntur; quod si plenilunium vel in ipso nodo, vel prope illum eveniat, luna umbram terræ ingrediens parte luminis privabitur, vel toto: Telluris autem eclipsis, quam soli vulgò assignant, fit, dum lunæ cum sole conjunctio, seu novilunium vel in ipso nodo, vel in ejus vicinitate contingit.

XXIV. Vero admodum est simile, solem hunc nostrum adspectabilem vastissimum quemdam esse globum, motibus intestinis naturam corporum ardentium æmulantem, ingenti undequaque ignium copia ejecta. E maculis solaribus in superficie lentissime motis probabilius videtur, soli competere motum vertiginis circa axem ab occasu in ortum.

XXV. Figura telluris ad sensum, & relate ad observationes plerasque astronomicas sphærica, collatis graduum, & oscillantium pendulorum calculis elliptoidica



ptoidica esse deprehenditur, depressa ad polos, & ad æquatorem protuberans. Æstus marini in tellure nostra a mutua solis, lunæ, terræque gravitatione efficiuntur.

XXVI. Cometæ sunt probabilius quoddam planetarum genus mundo cœvum, qui in orbibus valde excentricis, ac in perihelio ab arcu parabolico ad sensum minime discrepantibus moventur; horum seu caudæ, seu barbæ, seu crines non aliud videntur esse, quam exhalationes actione solis maxima copia excitatæ, & dum soli viciniore evadunt, ab hujus atmosphæra in averfam a sole partem propulsæ, quæ solares radios ad nos reflectunt.

XXVII. Lumen est effluvium tenuissimum linea proxime recta, nisi quantum refractione detorquetur, e corporibus lucentibus ad nos successive, & velocissime delatum motu æquabili sine ulla resistentia in medio homogeneo; intensitas illius decrescit in ratione inversa duplicata distantiarum.

XXVIII. Reflexio lucis sub eodem cum incidentiæ angulo, & in eodem plano non fit in ipsa corporis reflectentis superficie. Quod si luminis velocitas actione medii augeatur, vel minuatur, sequetur refractione cum accessu ad perpendiculum, aut recessu pro ratione majoris vel minoris attractionis: ratio tamen sinus anguli incidentiæ constans est ad sinum anguli refractionis. Phænomena variarum lentium a refractione, speculorum vero a reflexione lucis pendent.

XXIX. Diaphana dicuntur, quæ lumen transmittunt, opaca, quæ illud absorbent: Illa, quantum ad vires in lumen agentes attinet, homogeneis fere partibus, hæc heterogeneis constant. In quovis radio innumera sunt stamina constantem, & diversam refrangibilitatem, & colorem habentia: Color albus enascitur e radiorum omnis generis quodam temperamento, ut nulla species ceteris dominetur, sed in æquilibrio sint omnes inter se.

XXX. Radii refractione a se invicem separati principales illos septem prismaticos colores exhibent, qui nova, ac repetita transmissione non immutantur. Phænomena iridis a diversa luminis refrangibilitate repetuntur. Colores corporum proveniunt a tenuibus, ac pellucidibus eorundem lamellis, quæ pro varia crassitudine radiorum compositum veluti dissuunt, ac separent, certique generis stamina reflectant, transmissis, aut absorptis ceteris.

XXXI. Ignis proprietates sunt ignis subtilitas, corporum rarefactio, calor, ejusque diffusio ad æqualitatem, quibus expensis satis luculente efficitur, ignem elementarem, repudiato illo ætheris oceano, esse materiam lucis cum oleo corporum ardentium fermentantem.

XXXII. Quod si major sit particularum nexus, quam ut corpus inducta fermentatione dissolvi possit, oscillationes nihilominus in ejus moleculis ortæ, & motus moderatior ideam caloris excitabunt; facta quoque modo motus partium imminutione generabitur frigus respectivum. Glacies nascitur mutua attractione particularum liquoris sublato æquilibrio ignis interni, & externi.

XXXIII. Aer est fluidum sui generis, pellucidum, elasticum, & quamvis mira corpusculorum heterogeneitate inficiatur, propria tamen, & distincta gravitate præditum; ex qua gravitatis actione, & continua pressione varia mercurii altitudo in tubo Torricelliano, syringarum, antliarum, siphonum, aliaque phænomena manifeste profluunt.

XXXIV.



XXXIV. Fontium origo una statui non potest; quidam enim, lique intermittentes a nivibus, & pluviis proveniunt: alii scaturiunt a sublati e mari vaporibus, & in petrarum cavitatibus receptis; neque desunt dulces etiam, & perennes fontes, qui ortum suum a marinis halitibus per subterraneos, & liquosos meatus transmissis ducunt.

XXXV. Ad explicationem magnetis actiones pure mechanicæ, hæcenus detectæ, non sufficiunt, sed interveniunt vires a gravitatis principio non distinctæ, & ad actionem magis sensibilem a circumstantiis quibusdam nondum satis exploratis determinate.

XXXVI. Fluidum electricum est materia elastica admodum subtilis, per omnia corpora terrestria quodammodo æquilibrata, turbato æquilibrio ex eo corpore, in quo abundat, in aliud sese diffundens, in quo respective minor datur illius copia; dependent itaque electricitatis effectus a motionibus hujus fluidi ad æquilibrium se restituentis.

XXXVII. Vapores sunt fluidum tam rarum, & specificè leve, ut per gravitatis leges ab aeris pressione, accedente sæpius vi electrica, ad certam altitudinem eleventur: Generantur per resolutionem corporum maxime liquidorum, & mutatos cohæssionis limites.

XXXVIII. Si effectus fulminis, & ictus fortioris alicujus electrici corporis spectentur, tanta comprehenditur in utrisque convenientia, ut vix alia re discrepare, quam magnitudine videantur; quare tempestates fulminæ potissimum electricitati terræ, & nubium sive per excessum, sive per defectum electricarum adscribi possunt. Ab eadem materia electrica, a spatii æquatori vicinis versus polos defluente, congrue repetitur aurora borealis.

XXXIX. Pluviæ quandoque oriuntur a vaporibus electricis, qui fluido illo suo expandente spoliuntur; alias præcipitatione quadam, atque interpositione particularum heterogenearum, quarum viribus iterum uniantur molecule; Vapores congelati in nives, guttæ aut frigore, aut heterogenearum partium immixtione consistentes in grandinem abibunt.

XL. Ex constanti, & æquabili propagatione, pulcherrimoque organorum nexu non difficulter evincitur, plantas omnes verisimiliter provenire e proprio, suæque speciei semine, quod non sub initium creationis productum est, sed ab ipsa planta generatur.

## EX MATHESI

I. Quantitates algebraicas cum integras, tum fractas addere, subtrahere, multiplicare, dividere.

II. Proportionem geometricam invertere, alternare, componere, dividere, duplicare, triplicare.

III. Anguli verticales, alterni, externus, & internus ad eandem partem sunt æquales; in triangulo rectilineo omnes tres anguli  $= 180^\circ$ : angulus vero externus = duobus internis oppositis.

IV. Si in duobus triangulis tria latera homologa sunt proportionalia, vel duo latera, & anguli intercepti æquales, triangula sunt similia.



V. Si ex angulo recto trianguli rectanguli demittatur perpendicularis ad hypothenusam, ea dividet triangulum in triacula tum inter se, tum toti similia.

VI. Quadratum hypothenusae aequatur quadratis Cathetorum.

VII. Angulus ad peripheriam est subduplus anguli ad centrum eidem arci insistentis.

VIII. Ad duas lineas rectas invenire tertiam, vel primam, vel mediam proportionalem.

IX. Superficiem, & soliditatem prismatis, cylindri, pyramidis, con, sphaerae invenire.

X. Aream parallelogrammi, trianguli, polygoni regularis, aut irregularis, circuli, sectoris, segmenti circuli determinare.

XI. In triangulo sinus angulorum sunt ut latera opposita.

XII. Item summa duorum laterum est ad differentiam, ut tangens semisummae angulorum ignotorum ad tangentem semidifferentiae eorum.

O. A. M. D. G.



EX. MATHEMATICA





# LECTOR BENEVOLE!

**P**rodit in novam lucem e *Topographia Germaniae Austriacae*, quam eruditissimus Vir Carolus Granelli S. J. in sua quondam ediderat juventute, *Compendiaria Metropolis Carnioliae descriptio*, antiquam, & novam Urbis faciem complexa; retento Auctoris stylo majoris claritatis gratia totam epitomen suos in numeros partiti sumus, paucis pro temporis varietate vel additis, vel immutatis. Lector hanc nostram gratificandi voluntatem boni consule, & vale.

## I.

**L**Abacum vulgo indigenis Lubiana, Germanis Laybach, Italis Lubiana praclara, venustaque Urbs subest latitudinis gradui 46. min. 2. longitudine vero gradui 32. min. 5. & 27. milliarium itinere Graeco in Meridiem abest. Muro cingitur 6. portis aperto, si etiam aquatica in calculum veniat, quarum ternae totidem respiciunt Suburbia nautis, & piscatoribus plurimum repleta. Principem locum has inter hodie obtinet aulica, ita ab adfita aula Ducali nominata, ad quam Labacensis Civitas Carolo VI. Caesari elegans secto e lapide fluxit monumentum, cujus supremam partem ejusdem Augusti effigies, Carrariensi e marmore gnave efficta occupat, hac adjecta Epigraphe: *Carolo VI. Romanorum Monarcha, Germ. Hispan. Hungar. Bohem. Regi, Archiduci Austriae &c. hanc urbem ad accipiendum a Ducatu Carnioliae homagium ingredienti S. P. Q. Labac. anno 1728. Bifariam illam fecat cognominis fluvius, qui adeo lentis progreditur aquis, ut, in quam partem defluat, aegre ab oculo discernatur, donec declivem nactus alveum velocius in Savum irrumpat. Hunc, prout infra clare patebit, Nauportum vocavit Plinius, & Strabo, sed hic alibi Corcoram dixit, ubi a Lazio erroris arguitur non sine ratione fuspicante in Gurca Carnioliae amne antiquorum Corcoram perennare, non autem in Labaco duobus milliaribus inde dislito. Interim fluminis Corcorae nomen cum Savo junctum fuisse videtur ab annalium Francicorum auctore, dum Carniolenses reseruit ad Carcalavum habitare. Ita Labacus*



pluvia, aut solutis nivibus auctus interdum intumuit, an, scilicet 1190. & 1537. eiusdemque seculi 59. ut cuncta Oppidi, vel Civitatis compita pervadens ubique navigia pateretur.

## II.

Civitatis formam primo induit Labacum anno 1416., quo fervente incolarum industria non modo accumulari aedes, sed & tennes muri circa eandem duci coeperant, hoc Civium molimine dein a Friderico IV. Cæsare sub annum 1475. ita promoti, ut Turcarum depredantium insultus atque arcerentur. Tandem ab anno 1520. usque ad ejusdem seculi 53. dejecto priore opere utpote ad Urbis tutelam minus idoneo, aliud validius aggressi Labacenses valla, & muros, hodieque extantes, intra excavatas fossas erexerunt, Ferdinando I. Romanorum Rege magnam sumptuum partem illis suppeditante. Penes Urbem attollitur collis densa virens nemore, e quo in apice assurgit Ducalis, amplaque Arx antiquos indicans natales, & ad ortum solidis mœnibus, ad reliquas vero Orbis plagas aut triplici, sed veteri pariete, aut nullo fere munimento vallata: Seculis superioribus supremi Provinciæ Præsides, quos Capitaneos dicimus, eam inhabitabant, dein eorundem Burgravii; jam ab anno 1752. Augustæ voluntate recipiendis militibus, dum stativa hic agunt, ea infervit.

## III.

Præsentis duntaxat Civitatis ortum, progressusque hætenus deduxi: at si ad vetustiore ætate regredi lubet, & veterum monumenta revolvere, in aliam longe antiquissimam, ac celeberrimam incidemus Urbem, Æmonam videlicet, sive Hemonam, vel Hæmoniam, quam in hoc eodem solo quondam floruisse, sed a Barbaris Romanum Imperium dilacerantibus postmodum deletam, tot, tantaque firmant argumentorum pondera, ut inter Urbes, quæ prisci nominis jacturam fecere, iis adnumeranda sit, quarum antiquatam sedem certissima alia indicia posteritati manifestarunt, quidquid contra oggant alienæ gloriæ invidi, aut geographiæ, historiæque ignari. Hanc sententiam maxime tuetur, atque uberrimis veterum testimoniis studiose collectis dilucidat pereruditus Carniolicorum annalium author Schönleben, quem præiverunt duo illustres geographi Ortelius, & Cluverius, aliique complures, & novissime subsequitur non minus clarus scriptor Cellarius: sed ad rem propius accedamus. Ptolomæus postquam Superiorem Pannoniam ad Orientale Norici latus fecus Cesium montem jam sæpius memoratum descripsit, ejusque Urbes recensuit, hæc postremo subjunxit: *In limite Italiae sub Norico iterum Pannoniae Civitas Hemonæ*, ubi luculente docet Æmonam licet in Pannonia comprehensam non ad Ortivam Norici plagam, uti reliqua illius loca, sed ad Australem extitisse, sicut Italia, inter quam, & Noricum ea Civitas interjicitur, aliqua scilicet Pannoniæ portione eousque protensa.

## IV.

Quibus rite perpensis vix aptiorem Æmonæ reperies campum, quam Labacensem districtum, utpote inter Istriam Italiae Provinciam, & eam Norici partem, Styriacam scilicet, quæ Pannoniæ adhærebat, inclusum. Certe hic unus Ptolomæi textus Æmonam saltem Carniolæ vindicat, si suis momentis



mentis sedulo expendatur. Unde audiendus modo Plinius Lib. 3. c. 25., qui verum ejusdem situm propius monstrabit: *Quæ pars, inquit ille, ad mare Adriaticum spectat, appellatur Dalmatia, & Illyricum supra dictum. Ad Septentriones Pannonia vergit, finitur inde Danubio. In ea Colonia Æmona, Siscia, Amnes clari, & navigabiles in Danubium fluunt, Dravus & Noricis violentior, Savus ex alpihus Carnicis placidior. Alibi vero clarius Lib. 3. c. 18. Argonavis flumine in mare Adriaticum descendit non procul Tergeste: nec jam constat, quo flumine. Humeris travestram Alpes diligentiores tradunt. Subiisse autem Istro, dein Savo, dein Nauporto, cui nomen ex ea conssa est, inter Æmonam, Alpesque orienti. Sermo igitur hic Plinio fuit de alpihus Tergestum, seu Istriam a Pannonia separantibus, inter quas, ac Æmonam fluere Nauportum asserit, & in Savum effundi. Consule nunc Mappas, & pro libitu contemplare, an non Nauportus sit ipse Labacus atinis, qui ex iisdem alpihus emanans Labacensem Urbem interfuit, & tandem Savo notissimo etiamnum flumini miscetur. Sane alium fluvium, qui Pliniane descriptioni exactius respondeat, ægre deprehendes. Unde Nauporto celebri quondam Urbi a Tauriscis ædificatæ natum fuisse nomen existimare licet, quod oppidum hodie Hyperlabacum audit. Observandum hic autem est, aliam quidem Urbem sub Æmonie nomine a Plinio in Noricis censer, sed geographorum pene omnium sensus errasse hunc authorem pronunciat, eadem scilicet Urbe in Pannonia, & Norico perperam collocata, cum nullus alius scriptor Æmonie in Norico meminerit, & pronum fuerit in hujusmodi sphalma labi, siquidem in Pannoniæ, & Norici confinio Ptolomæus, ut vidimus, alique eam Civitatem describere. Interim non modo in Carniolia Æmonam reperimus, sed & apud Labacum fluvium aliquo post Nauportum Oppidum intervallo, quæ uni Labacensi Civitati quam optime conveniunt.*

## V.

**V**eterum geographorum Principibus primas dedimus; nunc autem Itineraria a tredecim circiter seculis ad nostram usque ætatem transmissa percurramus; Favet enim imprimis sententiæ nostræ Antoninianum, cujus itineris ductus cum suis milliaribus hoc ordine procedit, additis ex adversa parte recentibus nominibus, quæ cum antiquis coincidere aut manifesto patet, aut ex situ, & distantia eruditi opinantur.

|                   |        |           |
|-------------------|--------|-----------|
| Concordia Civitas | M. P.  | Concordia |
| Aquileia Civitas  | XXXI.  | Aquileia. |
| Frigido fluvio    | XXXVI. | Vipach.   |
| Longatico mansio  | XXII.  | Logatez.  |
| Hemona            | XVIII. | Laybach.  |
| Adrante mansio    | XXV.   | Dranberg. |
| Celeia Civitas    | XXIV.  | Celeia.   |

Nec minus suffragatur Peutingeriana Tabula, ex qua apud Velferum edita hoc itineris fragmentum ad rem nostram excerpfi.

Savo fl.

M. P. Savus.



|                      |        |                     |
|----------------------|--------|---------------------|
| <i>Emona</i>         | VIII.  | Laybach.            |
| <i>Nauporto</i>      | XII.   | Oberlaybach.        |
| <i>Longatico</i>     | VI.    | Logatez.            |
| <i>In Alpe Julia</i> | V.     | Alben, seu Planina. |
| <i>Fl. Frigido</i>   | defunt | Vipach.             |
| <i>Ponte Sonti</i>   | defunt | Lifonzo.            |
| <i>Aquileia.</i>     | XIII.  | Aquileia.           |

Denum Labacensi vetustati patrocinator aliud Itinerarium mihi ignotum, quod Hierosolymitanum Schönleben vocat, ejusque partem hoc modo subdit:

|                        |       |                     |
|------------------------|-------|---------------------|
| <i>Aquileia</i>        | M. P. | Aquileia.           |
| <i>Ad Undecimum</i>    | IX.   | Undecimo.           |
| <i>Ad formulas</i>     | XII.  | Sanpals.            |
| <i>Castra</i>          | XII.  | Prat. five Poderai. |
| <i>Ad pinum summas</i> |       |                     |
| <i>Alpes</i>           | IX.   | Alben.              |
| <i>Longatico</i>       | X.    | Logatez.            |
| <i>Ad Nonum</i>        | IX.   | Billiechgratz.      |
| <i>Emona</i>           | IX.   | Laybach.            |

#### VI.

Concordant hæc antiqua cum hodiernis intervallis, si juxta geographorum regulam 4. passuum millia communi Germanico milliari adjudicentur, communi inquam; non enim me latet, plura intercurrere majora, & aliquando minora ob enormem Germanicorum milliarium inæqualitatem: ubi illud quoque præ oculis habendum, diversas scilicet ad eorundem terminum patere vias, nec ubique nobis innotuisse, qualem Romani triverint; unde si alicui nonnulla ex enumeratis distantis a præsentis discrepare videatur, ejusmodi viarum mutationi id adscribi potest, vel etiam amanuensibus; quid enim facilius, quam in ea exemplaria adeo longa temporis intercapedine toties descripta mendum aliquod circa nunc irrepisse? Tres præterea inscriptiones Labaci effossas, & Æmonæ nomine insignitas profert Schönleben, quarum unam hic subjicio, quia Legiones in hæc Urbe aliquando degentes colligi ex illa possunt: M. TITIO M. F. CL. TI. BARBIO TITIANO DECURIONI EMONE T. LEG. II. ADJUTRIC. ITEM LEG. X. FRETENS. HASTATO. IN COH. LEG. II. TRAJAN. EXCORNICULAR. PR. PRO. LARCIA VERA FILIO PISSIMO L. D. D. D. Æmonam Labaci superesse, vel saltem in ejusdem vicinia secus Labacum amnem extitisse, hand puto posse nunc ab eruditis in dubium revocari. Parum e contra itinerariis, aliisque relationibus hucusque allegatis respondet Iggium duobus milliariis Labaco distitum, & a fluvio pariter remotum, quod Æmonæ successisse autumat Lazius; procul autem ab iisdem aberrat Blondi, & ejus sequacium sententia, qui Æmonam in Istria, ubi modo Civitas nova extat, agnoverunt.



## VII.

**H**istoricos igitur adeamus, ut, quæ de Æmona illi fastis commiserunt, tantumquam ad hodiernam Carniolæ Metropolim spectantia, perscrutemur. Antiquissimam imprimis originem Sozomenus, qui anno 440. florebat, his verbis exhibet, ex Basileensi anni 1562 editione desumptis: *Argonautæ cum Ætæa fugerent, non eadem sunt in reditu usi navigatione, sed trajecit mari Scytharum per hosce fluvios ad Italia terminos pervenerunt, ubi & hybernantes Civitatem condiderunt, dictam Æmona. Ingruente vero æstate ope incolarum Argonavem circiter quadringenta stadia arte mechanica per terram ad Aquilam fluvium traxerunt, qui Eridano miscetur.* Consonat Zosimus, qui claruit anno 362., Æmonæ quippe ortum Argonautis pariter adscribit, circa translatam ad mare navem solummodo discors, de quo etiam antea Plinium, qua via, aut flumine ea transvecta fuerit, audivimus dubitantem. Æmonæ porro nomen huic Urbi a Jasone Argonautarum Duce inditum fuisse omnino videtur, ut patriæ suæ Æmonæ (postea Thessaliæ appellatæ) illustre in alienis terris erigeret monumentum, sicuti postremis duobus seculis familiare fuit Europæ gentibus, detectas in novo Orbe regiones, aut excitas ibidem Colonias sumptis ex Europa nominibus distinguere, & dulci ea patriæ memoria partum ab ejusdem absentia mœrorem delinire. Argonautarum expeditionem anno mundi 2821., ante Christum 1232. juxta statutam a se chronologiam collocat Salius, non decennio post, uti Schönleben perperam annotavit. Ricciolus 22. annos ex Salius calculo demit, & anno ante Christum 1210. eandem adscribit, Æmonæ ætas plus quam 450. annis ipsius Romæ natales antecedit.

## VIII.

**S**i exorientem suspeximus Æmonam, non minus eam admirabimur proficientem. Romanorum imprimis Coloniam huc deductam esse, e supra citato Plinii textu edocemur, quod sub Octaviani Augusti Imperio accidisse verosimile est. Ab eo tempore historicorum primus Æmonæ meminit Herodianus, Maximini ab a. 235. Imperantis iter e Pannonia in Italiam susceptum describens: *Maximinus, inquit ille, postquam ad Italia fines pervenit, præmissis speculatoribus, qui explorarent, an ulle in Alpium convallibus, atque densissimis sylvis insidia delitescerent, ipse in planum deductis militibus, jubet armatorum acies quadrato agmine incedere, ubi autem totam planitiem seroatis rite ordinibus transmiserunt, ad primam Italia urbem perventum est; quæ Æmona ab incolis vocatur. Ea sita est in extrema planitie ad Alpium radices. Hic speculatores, atque exploratores exercitus narrant Maximino, vacuam relictam Urbem, aufugisse omnes incolas, templorum etiam, ac domorum januis incendio consumptis, atque omnibus, quæ vel in urbe, vel in agris fuerant, asportatis, --- Milites indigne tulerunt, quod ab initio statim fame laborarent; cumque noctem exegissent partim intra patientes domos, partim in planitie ipsa, statim sole oriente ad Alpes accesserunt.* Observatione dignum hic est, quod Herodianus, etsi Æmonam Italiæ Urbem nuncupet, eam tamen Labacensibus non furripiat, imo iisdem confirmet, cum in planitie, quæ ex Pannonia proficiscentibus paulo ante alpes occurrit, clarissime circumscribat; quare vel dicendus est is author errasse, Æmonam Italiæ includens, vel admittendum est, ea tempestate Italiam ultra alium jugum se extendisse.

## IX.



**G**loriosorem hujus Urbis mentionem facit in Theodosii senioris Panegyrico Pacatus, dum aurea sua facundia solemnem exornat pompam, qua anno 388. Amonenses Potentissimum illum Casarem de Maximo tyranno ad Sisciam, & Marcellino ejus fratre ad Petovium paulo ante caelo triumphantem exceperunt. Post condigna ergo utriusque victoriae encomia ita prosequitur Orator, cujus pereleganti dicendi stylo placuit nostrum quibusdam minus sapidum scribendi genus tantisper condire. *Nec pia Hæmonia*, ajebat ille, *cunctantius*, *ubi te affore nunciatum*, *impulsis effusa portis*, *obviam provolvavit*, & *ut est omne desiderium post spem impatientius*, *parum creans patere vententi*, *festinavit occurrere venturo*. *Fingit quidem*, *ut scimus*, *timor gaudium*: *sed ita intimos mentis affectus proditor vultus enunciat*, *ut in speculo frontium imago extet animorum*. *Vetus illa Civitas a longa obsidione respirans*, *quod eam tyrannus alpebus objacentem tanquam belli limen attriverat*, *tanta se*, & *tam simplici exultatione iactabat*, *ut inesse vera letitia nimia videretur*. *Ferebant se obviam tripudiantium catervæ*, *cuncta cantu*, & *crotalis personabant*. *Hic tibi triumphum chorus ille*: *e contra tyranno funebres nenia*, & *carmen exequiale dicebat*. *Hic perpetuum vitæ abitum*, *ille victoribus crebrum optabat adventum*. *Jam quacunque tulisses gradum*, *sequi*, *circumcursare*, *precedere*, *vias denique*, *quibus ferebaris*, *obstruere*; *nullus cuique sui*, *cuique respectus blandam tibi faciebat injuriam*. *Quid ergo referam pro manibus suis festum libera nobilitatis occursum*? *conspicuos veste nivea Sacerdotes*? *Quid portas virentibus sertis coronatas*, *quid aulais undantes plateas*, *accensisque funeralibus ausum diem*? *Quid effusam in publicum turbam domorum*? *gratulantes annis senes*, *pueros sibi longam servitatem vorantes*? *matres letas*, *virginesque securas*? *Nondum conseceras bellum*; *jam agebas triumphum*. Hæc Pacatus, quibus & frustra obseffam indicat a Maximo Amonam, cum ex Italia in Pannoniam adversus Theodosium properaret, & quem splendoris gradum ea Civitas ascenderit, ob oculos ponit, dum magnificum Senatorum, Flaminum, & Sacerdotum explicat apparatus. Neque his fidem derogant quædam mendosæ illius panegyrici editiones ex male descripto codice exortæ, in quo cum pro *Hæmona* quidam legissent *hac mora*, sicque typis mandassent; sciolus aliquis videns sensum non apte coherere, ineptius ipse substituit *Naronam*, veteris quidem Illyrici Urbem, sed a Julius alpebus remotissimam, per quas Aquileiam versus fugientem Maximum inde insecutus a Pacato dicitur Theodosius, & ab Historicis omnibus confirmatur. Ceterum expresse Hæmonia legitur in pervetusta editione anno 1513. Viennæ Austriæ peracta, ex qua præmissum orationis fragmentum decerpsi, & Hæmonam, seu Amonam in suis exemplaribus extare, Schönleben, Cellarius, alique complures attestantur. Par quoque error in easdem irrepsit editiones, dum pro *Siscia*, *Siscia* nusquam audita Civitas perperam supponitur. Secundo venerata est Amona Theodosium anno 394, quo is Eugenio, & Arbogasti ad alpes Julius obviam factus, famosissimam retulit victoriam, quam ex veteribus uberius dilaudant Jornandes, Rufinus, Theodorus, Orosius, Socrates, Sozomenus, alique complures. Post Theodosium Amonam accessisse fertur a Zosimo Lib. 5. Gothorum Rex Alaricus ex Pannonia in Italiam anno 400. cum exercitu contendens, nullo tamen damno affectam Urbem memorat, sed tantum Regem apud *Hæmonam castra locasse*.



## X.

**E**piscopalem Cathedralam jam ab anno 70. Æmonæ erectam conjicit Schönleben, quando nimirum a D. Hermagoræ Aquileiensis Præfalis discipulis Christiana lex per circumfatas oras propagabatur. Primus tamen, qui posteris innotuit, ab eodem autore memoratur S. Maximus anno 254. sub Decii persecutionem martyrii laurea coronatus in Urbe Affesia, quam Ptolomæus Lib. 2. C. 17. Liburniæ Mediterraneis inserit, & diversa martyrologia, ac Sancti acta apud Henschenium congesta in Civitatem Asiam perperam commutantur; Ibi igitur generosus hic athleta, cum a Christi labaro nec munerum spe, nec minarum terrore avelli posset, Proconsulis jussu flagellis primum cæsus, dein equuleo tortus, tandem extra Urbem lapidibus obrutus victricem animam celo transmissit. Sacræ ejus exuvie Æmonam delatæ sunt, postea Romam, hinc vero ad novam Istriæ Civitatem, quæ, ut diximus, vetus Æmona nonnullis videbatur. Demum hinc quoque Venetias avectæ in S. Cantiani Ecclesia etiamnum quiescunt. Alterum Æmonensem Episcopum nomine Maximum præfixum reperi Actis Concilii Provincialis anno 381. Aquileiæ celebrati, ut habetur Tom. 3. Conc. edit. Par., in quo a triginta duobus Italis, Gallis, & Pannonicis Episcopis, præsentibus Gallorum, & Afrorum Legatis, Palladius, & Secundianus Episcopi Arriani cum Attalo quodam Presbytero damnantur; additque in notis Binius, omnes, quotquot interfuere, viros sanctos, famaque celebres, anniversaria commemoratione votis fidelium redivos in Ecclesia vigere. His adjicit Inchoffer in App. ad Annal. Hungar. pag. 14. Castum in Damasi decretis laudatum, & tres alios Valvasorius nempe S. Florium, Genadium, & Joannem. Tertium, de quo constat, Æmonensis Insulæ decus fuit *Petrus Episcopus S. Ecclesiæ Æmonensis*, prout subscriptus legitur in Actis Gradenfis Synodi an. 581. ab Aquileiensi Patriarcha Elia convocata, idemque penitus est, qui in Barberino eorundem Actorum codice, quæ cum prioribus Schönleben allegat, *Petrus Episcopus Æmonensis* nuncupatur. Ex his manifesto apparet, revixisse post excidium Æmonam, quo eam anno 452. ab Attila Hunnorum Rege prostratam concidunt scriptores, unde non nisi Slavorum, aut Longobardorum tempestate deletum dici potest primævum hujus Urbis nomen; horum enim Duces in Foro Julii degentes, uti ex Paulo Diacono Hist. Long. l. 4. c. 40. colligitur, non modico tempore Carniolæ imperitarunt.

## XI.

**A**bolito nomine perennat nihilominus Labaci Civitas Episcopali dignitate non minus illustris, quam anno 1451. Fridericus IV. Imperator, annuente summo Pontifice erexit, & primum instituendum præsentavit Sigismundum a Lamberg, adjectis Præposito, Decano, decemque Canonicis, qui Præfati decori essent, & adjumento. Etsi vero horum numerus temporum vitio sex capitibus imminutus fuisset, hodie tamen a totidem gentilitiis Familiis Kirchberg, Wolwitz, Codelli, Lamberg, Flachsenfeldt, & Schifferer se restitutum gaudet. Altero anno Pius II. Papa dato 5. idus Septembris diplomate Labacensem Diocesim ex Aquileiensis, & Salisburgensis partibus confiatam ab omni tum Patriarchæ, tum Archiepiscopi Jurisdictione immunem declaravit. Undeviginti hætenus illa numerat Antistites a Ferdinando Cæsare, Friderici IV. Pronepote, etiam S. R. I. Principis dignitate exornatos, in fin-

gulorum



gultorum nomina : Sigismundus a Lamberg , Christophorus Rauber , Franciscus Kezianer , Urbanus Textor , Petrus Seepacher , Conradus Glusdich , Balthasar Radlitzius , Joannes Taufcher , Thomas Chron , Reinholdus Scharlichius , Fridericus Otto Comes a Puechaim , Josephus Comes a Rabatta , Sigismundus Christophorus Comes ab Herberstein . Ferdinandus Comes a Khünburg , Franciscus Carolus Comes a Kaunitz , Guilielmus Comes a Leslie . Sigismundus Felix Comes a Schrattenbach , & Ernestus Amadeus Comes ab Attems , anno 1757. s. Decembris Viennæ vita functus ; in cujus locum evectus 25. Januarii 1761. LEOPOLDUS JOSEPHUS a Comitibus de BETAZZUS Labacensem Ecclesiam sapientia summa , religione , & felicitate gubernat . Cui Optimo Antistiti longam vitam , & incolumitatem unanimi votorum confessione precamur .

**XII.**  
**L**uctati tandem ex veteris historię tenebris ad meridianam effusim lucem , præsentem nimirum Labaci statum , quem modo lectorum oculis subjiciam , sacras Aedes de more præmittens . Hæ si ex Urbe , & Suburbis ad calculum reducantur , sexdecim universim colligentur . Cathedralis Ecclesia ad S. Nicolaum a nautis , & piscatoribus longe ante annum 1386. condita dicitur , quo scilicet flammis correpta concidit , sed in majorem amplitudinem inde a Friderico IV. Imper. ac Eleonora ejus Coniuge evecta , a Thoma Chron , nono Antistite pluribus partibus decorata ; vetustate ipsa jam ruinam minitante , anno primo seculi labentis diruta , atque ad majestatem , quam quisque in illa suspicit , inter annos quinque e fundamentis restituta Joannis Antonii Thalnitfcheri de Thalberg , Decani , ac Vicarii Generalis ope collectitia , ac incredibili cura . Post hanc amplissimum occurrit ædificium , Divi Caroli honoribus sacrum , in duas partes distributum , quarum una a Nobili , altera ab Ecclesiastica Juventute , aut etiam ætate jam fractis Clericis inhabitatur : complectitur hoc etiam elegantem Bibliothecam , quæ publicis patet usibus . Omnia hæc post excitatam Cathedralem Basilicam , jam laudati Thalnitfcheri munificentia , aut certe solitudine surrexere . B. Virginis MARIE Sacrarium Teutonicorum Equitum , olim Templariorum domui , seu Commendæ annexum , & ad instar Crucis efformatum , nova sua mole Magni nostræ ætatis Herois Guidonis Stahrenbergii , & trium Augustarum Eleonoræ , Amaliæ , & Elisabethæ munificentiam , atque pietatem deprædicat , in antiquis Aemonæ rudetibus exstructum , cujus originem prolixa annorum series a viventium memoria removet ; Commendatarum tamen ibi residentium syllabam jam ab anno 1295. in Ortolino Hertenbergico orditur Valvasorius .

**XIII.**  
**G**loriosa ejusdem B. Virginis Assumptio in Minorum Sancti Francisci Templo primario colitur , quod an. 1403. assurgere cœpit ex alterius ruinis anno 1073. D. Philippi honoribus a mercatore quodam Petro Baldaviz dedicati . Invalescens Labaci hæresi abcesserant quidem elemosynarum defectu Religiosi incolæ , sed restituta pristinæ integritati religione huc denuo remearunt , nostraque ætate non solum Aedem sacram , sed & amplum Monasterium suum celebri Bibliotheca instructum ad modestam quandam elegantiam , & religiosum nitorem restituerunt .



**S**ocietatis JESU templum, quod maxima sui parte anno quarto seculi labentis instauratum elegantibus aris marmoreis plurimum a ceteris se distinguit, natum est eximium suæ foundationis scriptorem, nempe Thomam Chron hujus Urbis Episcopum; cujus verba, prout ea Valvasorius refert, omisissimum minus necessariis, hic subjiciam, ut ex ipso fonte totam rei seriem purius hauriamus; sic itaque exorditur: *Cum anno Domini 1596, singulari Dei beneficio, & Serenissimi Archiducis Austria Ferdinandi zelo, ac destinatione, ad maiorem Dei laudem, & gloriam, animarumque Lutherana heresi ab annis 50. vel amplius misere seductarum reductionem, & salutem in Adventu D. N. JESU Christi, sub Reverendissimo in Christo P. D. Joanne Episcopo Labacensi, - - - Labacum, & Diocesim ejus inclita Societas JESU fuisset ingressa, - - - & primum in Monasterio Franciscanorum (tunc vacuo) perpetuum locum habitura, moxque propter loci angustias, aliasque difficultates ad S. Jacobum (ubi Xenodochium erat Casareum) Summo Pontifice, ac Principe Ferdinando consentientibus, transmigratione esset, capta est Collegii illic edificatio, manente veteri S. Jacobi Templo tenebricoso, angusto, parumque commodo, - - - Machina interim Collegii Archiducalis permagnifice constructa, visum est Deo, Serenissimo Principi Ferdinando Fundatori, ac Reverentis Patribus dictæ Societatis Ecclesiam Collegio conformem fabricare, ac veterem diruere, ut sequitur. In nomine JESU, & Mariæ ego idem Thomas, qui supra, nonus Episcopus Labacensis, in festo Sanctissimorum Philippi, & Jacobi Apostolorum, qui fuit feria IV. & prima dies Mensis Maji (anno 1613.) posui primum lapidem pro Ecclesia nova in honorem Dei Omnipotentis, ejusque magnæ Mariæ Virginis Mariæ, sub invocatione, ac titulo S. Jacobi Apostoli, S. Wolfgangi Episcopi, & S. Ignatii Lojole inclitæ Societatis JESU Fundatoris tunc canonizandi Patronorum, Labaci in Collegio Archiducali edificanda.*

## XV.

**A**nte Templi faciem speciosa expanditur area, cujus unum latus occupat Collegii structura, alterum vero frequentissimum Gymnasium, centum abhinc annis, & ultra Carniolæ Procerum beneficio extructum, quod fronti ejusdem inscripta Epigraphe, grata etiamnum ita loquitur: æDES novæ gymNASII LABACENSIS: ære ordINVM CARNIOLE, Tradebantur in hoc usque ad annum quartum seculi, quod vivimus, solum humaniores Musæ, & Moralis Theologia divisæ per septem classes discipulis: inde liberali, & perpetua munificentia Procerum eorundem accessere Professores quatuor, qui hodie frequentem Scholasticam Juventutem etiam in Disciplinis Mathematicis, Logicis, Metaphysicis, Phisicis, & Jure Pontificio ex mente Augustæ MARIÆ THERESIÆ informant; quo vero ampliores progressiones faceret Philosophia, atque institutis experimentis in naturæ arcana inquireret, ab ejusdem Provinciæ liberalitate instrumentis necessaria obvenerunt. Neque læto carent successu literarii conatus, inter quos memorandæ veniunt observationes Veneris per discum solis anno 1761., 6. Junii transeuntis, ab hujate Mathematicum Professore Joanne Baptista Schütelio singulari studio, & accuratione factæ, quæ celeberrimorum Astronomorum, & ipsius adeo Parisinæ Academiæ judicio approbationem tulerunt. Latus patet obversum Auditorium, nobili theatro instructum, in quo annis fere angulis de re literaria bene meritis juvenibus co-



randem Ordinum munificentia præmiis donatur, occupat. Ex adverso Templi surgit ex ære constans Deiparæ sine labe conceptæ colossus marimoreæ insistens columnæ, cujus basim Sanctorum Josephi, Achatii, Ignatii, ac Francisci Xaverii Statuæ, per quatuor distributæ angulos, exornant. Totius colossi stylobata binis suis inscriptionibus authores operis, & pietatem eorum ita posteris prodit, prima: *D. O. M. Mariæ Deiparæ V. quæ concepta sine macula originis, suppedaneæ Lunæ Triumphatricis anno M. D. C. LXIV. Ottomanicam Lunam a finibus Patriæ averruncavit, voti rea Provincia Carniolia jurata ejusdem Puræ Conceptionis Propagatrici M. P. Anno M. D. C. LXXXII.* Altera: *Dei Matris Virgini statvs CarnioLæ pos. ex Voto.* Antequam e Gymnasii vicinia discedamus, silentio prætereundum non est Seminarium Collegio ad plagam occidentalem conterminum, ubi prava olim dogmata grassante hæresi teneræ ætati cum literis instillabantur. Subinde pulsæ Cæsareæ Auctoritate errorum Magistris pauperum studiosorum contubernium Societatis JESU juribus traditum gloriosis SS. Donatiani, & Rogatiani titulis præfulgere cæpit; nunc partim pia Benefactorum liberalitate, partim proprio conviventium ære copiosam, & nobilem Juventutem in spes Patriæ optimas alit, cum insigni Religionis, Reique literariæ in futura tempora incremento.

#### XVI.

**D.** Jacobi Ecclesiæ quantum magnitudine cedit, tantum vetustate eam superat S. Elisabethæ Tempellum, Civico Hospitali adherens, quod anno 1386. eandem cum D. Nicolai Æde expertum est Vulcani sævitium: Profanaverant illud anno 1564. Luthericolæ, sed altero ineunte seculo Urbis Episcopus Thomas Chrön consuetis ritibus expiavit. Exiguæ pariter sunt quatuor aliæ Ecclesiæ, seu Sacella, quæ intra muros supersunt, videlicet una D. Fridolino sacra, quam vulgus a D. Laurentio denominat, quia festo hujus die illius dedicationem solemniter celebrat: altera D. Floriani ex piorum liberalitate post annum 1660., quo Urbem atrox afflixit incendium, ædificata; clariorem hanc annis posterioribus reddidit Virginis doloribus percitæ effigies, piorum clientium cultu, & gratis impetratis clarissimâ: tertia centum inde passibus in ipso monte occurrit, & præsentem primum seculo honoribus Divæ Rosaliæ surrexit; quarta ad D. Georgium arci inclusa eo etiam titulo advenas invitat, quod in parietibus suis non solum Principum Carniolæ, sed & Provinciarum, ex quibus illa per vices coaluit, quin & supremorum omnium Provinciæ Capiteaneorum nomina, ætatem, & gentilitia scuta ab anno 1261. ad nos usque deducta, eleganter depicta exhibeat.

#### XVII.

**N**on minus splendoris, & plures DEI Domos exhibent suburbia: Inter hæc eminet Parochialis, Divo Petro Apostolorum Principi dicata, viginti quinque sibi subditas, seu filiales, ut vocant, Ecclesias numerans. Veteri, quæ pluribus seculis supererat, cum ab anno 1385. ejusdem Pastorum nomina scriptis commissâ reperiantur, nova, ampla, & magnifica, Vaticanam imitans, viginti, & septem abhinc annis est furrogata. Proximum locum tenet Eremitarum S. Augustini Templum, in cujus medio stat Lauretana Domus anno 1609. consecrata. Ternas hi Religiosi successu temporis obtinere stationes: primam



primam iis una cum S. Martini Templo extra Urbem erexerat Cileiensis Comes; at quia Cœnobium crebris Turcarum insultibus patebat, eosque a Civium e muris ejaculantium ictibus tuebatur, an. 1494. solo æquatum est, Religiosis ad D. Jacobi Ecclesiam introductis, ad secundam nimirum stationem, quam an. 1553. deseruerunt. Tertia denique ab iis an. 1628. reversis in præsentis situ collocata, altero mox anno in cineres quidem abiit, sed ope munifici Baronis Conradi a Russenitein ab anno 1640. renovata speciosiores induit formam, quam hodieque ostentat. Cum Eremitarum Ecclesia venustate certat alia D. Josepho devota, & ab Eggenbergicis Principibus an. 1657. ejusdem pene Ordinis Religiosis, quos Discalceatos vocant, una cum Cœnobio extructa. Capucinatorum Asceterium cum sacra ejus Æde opus est Pientissimi Principis Ferdinandi Archiducis, postea Imperatoris hujus nominis secundi; in cujus fundamentis anno 1607. primum posuit lapidem Thomas Chrön Labacensis Antistes, absoluteque sequente ætate ædificio, celebrata est magna solemnitate consecratio, ad quam viginti hominum millia sub quingentis circiter vexillis ex Carniolia, Styria, & Carinthia supplicationem instituerunt. Pauciores recenset annos sacrarum Divæ Claræ Virginum Cœnobium ex Michaelis Hilleri, ad id relicta hæreditate anno 1648. inchoatum. Eo demum locorum, ubi ante hortorum deliciæ Principum Auerberg, & Eggenberg cernebantur, nostra ætate Fundatore Jacobo a Schellenburg amplissimum surrexit alterum Virginum D. Ursulæ Collegium cum Templo paræ & majestatis, & elegantie SSS. Triadi dicato. Tempiorum seriem claudit omnium novissimum Divi Joannis Baptiste, extra Teutonicam portam decem abhinc annis ære Jansitschia. no excitatum.

### XVIII.

**N**On modo sacris, sed etiam aliis tum publicis ædificiis, tum privatis quorundam Nobilium ædibus maxime post annum vigesimum seculi labentis eleganter constructis, aut certe prioribus ad optimæ Architectonicæ leges instauratis, Labacensis Civitas illustratur: In Aula Ducali, ante Vicedominali dicta, hodie multis accessionibus aucta, non solum ærarium, & tabularium Principis conservatur, consilia coguntur, sed & ampla regis administratoribus sufficitur habitatio. In domo Provinciali, præterquam quod litigantibus jura dicantur, suum etiam Provinciæ ministris domicilium patet, Optimum coguntur Concilia, ex quatuor Ordinibus conflata, quorum primus constat sacrorum Ministris, Episcopis nimirum Frisingensi, Brixinensi, Labacensi, & Petinensi: tum tribus Religiosorum Præsidibus, Sitticensi, Landstrassensi, & Vallis Jocosæ; Præpositis binis Labacensi, & Rudolphswertheni: Commendatoribus ternis Labacensi, ac Metlicensi Ordinis Teutonici, & ad S. Petrum Meliteni; Decano item, & Canonici exemptæ Cathedralis Ecclesiæ Labacensis. Secundus ex Principibus, Marchionibus, Comitibus, & Baronibus. Tertius ex Equitibus. Quartus demum ex Consule Labacensi, & undecim Ducalium Urbium Judicibus. Est & sua Civibus Curia anno 1484. ædificata, & alteri suffecta, quæ anno 1297. erecta in veteri foro spectabatur. Pone hanc surrexit in foro publico an. 1751. fons elegans patrio e marmore a celebri statuario Francisco Roba effusus; e medio vasis, quod adfluentes undas sinu suo excipit præalta exsurgit trigona Pyramis, ad cujus basim singula latera stipant



totidem fluvii Labacus, Savus, & Corcora Carrariensi e marmore iusta viri altitudine efficti, ex urnis, & piscibus, quibus insident, copiosam aquam depromentes. Tertia præterea adsunt Armamentaria, ex quibus Casareum, & Provinciale Arcis colli insident, ab aliis domiciliis sejuncta; tertium vero Clivum intra Urbem continetur. Extra Portam Aulicam conspirantibus inclytorum Statuum Carniolæ studiis Casareis honoribus dicata est Domus perquam magnifica anno superiore, theatralibus ludis Augustos Hospites oblectatura; & vero seu picturæ artem, & elegantiam spectes, seu camerarum ordinem, & insignem apparatus contempleris, seu in theatri affabre exstructi formam oculos concicias, cuncta ad splendorem, & majestatem composita dilaudabis. Non Suburbia tantum, sed & agri iis contigui elegantia ædificia peregrinis ostentant: Principem ea inter locum tenet illud amplissimum, & ad omnes delicias adaptatum, quod quindecim abhinc annis Excellentissimus Dominus Leopoldus Comes a Lamberg Carniolæ locum tenens, & supremus viarum Director ab imis fundamentis excitavit, maxima sui parte perfecit, & *Leopoldi quietem* compellavit.

### XIX.

**R**ES Provinciæ hujus militares non modicam subivere mutationem; anno enim 1746 auctore Principe Saxonie ab Hilburghausen Militia Croatica Prefecturæ Carolostadiensis, quæ ad hoc usque tempus Carniolæ Ducatus stipendiis vixerat, & ad arcendos a Patria Turcarum insultus vigilare debuerat, ceteris quibuscunque militum Germanicorum officiis exsequendis adaptata fuit: quanto Reipublicæ totius incremento generosa loquuntur facinora, quibus bello præterito inclyta hæc gens suum Patriæ amorem constanter probavit. Labacum sæpius, sed irritò conatu semper, tentarunt Turcæ, præsertim anno 1472. & ejusdem seculi 84, quibus in repellenda barbarorum audacia singulariter enituit generosa Labacentium fortitudo: Pari quoque virtute, & submissio ex Austria milite roborata anno 1441. non modo elusa est Alberti Archiducis obsidio, qui mediam Austriacarum Provinciarum partem a Cæsare Friderico IV. armorum vi expetebat, verum etiam ipse cum exercitu fugatus, castra cum toto bellico apparatu victorum prædæ reliquit. Has omnes obsidiones præcefferat alia ab Ottocaro Bohemiæ Rege an. 1269. Labaco admora, sed non tam felici obsessis exitu terminata; obtenta enim Urbe Rex Philippum Salisburgensem Episcopum, qui post fratris sui Udalrici Carinthiæ Ducis obitum Carnioliam occupaverat, ad eam protinus deferendam coegit. Hæc de

Austris hujus Ducatus Metropoli: reliquas per Provinciam Civitates aliis lustrandas permittimus.

F I N I S.



